Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1381
Quelle:
Copyright:

nem &c. Et non multo post: *Modo amicis meis et popularibus inconsulto forte partis suae praejudicio abreptis possim publico hoc qualicumque testimonio persuadere, me non leviter, nec temere rediisse in gremium illius Ecclesiae, atque eosdem ad ritus, quibus illa majores nostros Paganos baptizavit, quibus etiam perpetua substitutione ordinariam suam delegationem semper continuat; aut si eo tantum usque sopor illis possit excuti, ne portentum illis videatur, Catholicum esse, hoc est, praescripto Societatis christianae unius, universae, et perpetuae tutius acquiescere, quam suae cuicunque de sacrarum legum sensu opinationi; tunc equidem operam me non omnino perdidisse censendum est.* Vides Opus luci publicae destinatum fuisse, sed adhaesisse in scriniis, Autoris, ut videtur, ab Aula recessu, cui caussam malevolos Virum criminantes, quasi ab commisso fidei suae veterum Numorum Thesauro manus non abstinuisset, praebuisse lego apud successorem ejus amicissimum *Eckhelium* in Praef. P. I. *Catalogi Musei Caes. Vett. Numor.* ubi et innocentiae ejus testimonium fert, et anno 1723. in oppido *Veitsch* super. *Styriae* degisse, nuptiasque parasse e datis ad eum a L. B. *Fischero* literis tradit. Rumores sinistros, si non ortos, diditos saltem et auctos ab iis, quorum Sacris renuntiaverat, facile quis suspicetur. Et fortasse quidam de Opere nostro inaudierant. Est enim illud omni sacra eruditione omnis aevi refertum, grave absque omni acerbitate, presso pede procedens, singula maturo examine discutiens. Quodsi quandoque scribendi ratio clarior, expeditiorque desiderari posse videatur, Meditationes esse memineris. Sub finem ita colligit: *Ego quidem lassus tandem errorum, laborumque, et controversiarum fugiens ingenue confiteor, me, quoties infiniti Numinis immensitatem cum summorum omnis aevi, ordinisque ingeniorum erroribus, et cum nihilo meo confero, in causa, ubi non licet impune errare, haud securius pro conscientiae solatio remedium reperire, quam demissam in ordinariis ad salutem praescriptis mediis et promissi divini fidentem obedientiam.* &c. Agit de *Heraeo Adelungius* in Continuat. *Lexici Jöcher.* cui Codicem nostrum adde, et observa, *Heraeum* in primis fuisse, qui Metrum elegiacum Veterum in lingua germanica non infeliciter tentarit. Vide ejus *Gedichte und lat. Inschriften. Norimb.* 1721. p. 68. 8.

DCXIV.

Codex germ. initio praesentis R. 467
Sec. exaratus, Folior. 66. f. ἀπογραφον tamen imperfectum Operis variis locis manu ipsius Autoris limati, quem ex adjectis Titulo verbis: *Auctore. C. G. H.* eundem cum praecedente discimus, ita inscribitur: *Betrachtung des ungegründeten Vorurtheils oder Præjudicii, worin die Uncatholischen stecken, da sie den Catholischen*